

sibi gratulabuntur quod te præceptore usi sint: omnes  
deniq; boni nunquam de tuis laudibus conticissent.

Nunc vos auditores Clarissimi, Ornatissimi, ex-  
tremum VALE mecum LOBECHIO dicite: mecumq;  
ex intimis animi penetralibus ad Deum immortalem,  
patrem Domini nostri IESU CHRISTI, vota facite,  
oculis misericordiæ & gratiæ afflictam hanc Sareptam  
aspiciat: luem grassantem à nobis tollat: reliquias Eccle-  
siæ & Academiæ hujus seruet: & sicut olim sublato Elia,  
Elisæum reddidit: ita & nobis in defunctorum CHY-  
TRÆI & LOBECHII locum, ejusmodi doctores resti-  
tuat, qui Ecclesiæ præsidio, Academiæ ornamento, stu-  
diosæ juventuti magno usui: quiq; eorum quos præmi-  
simus, pietatis, fidei, doctrinæ, imitatores sint solertissimi.

Ita Regi seculorum, immortalis, invisibili, soli sa-  
pienti DEO, sit gloria, laus &  
honor, in secula

AMEN.

ELEGIA

